Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 335

Quelle:
Copyright:

riter in Operis laudem multis comparationibus e S. Scriptura depromtis. Inſcripta eſt: *Verſus eiusdem canonici de ſancto mariano antiſiod. premonſtratenſis ordinis.* Initium:

Stringere pauca libet bona carminis huius. et ipſum
Laude uel exili magnificare librum &c.

Elegiam excipiunt X. illa *Diſticha* in fronte *Cod.* praeced. indicata: *Nil homini melius* &c. quae hic Titulum ferunt: *De Vtilitate legendi hunc librum.* Dein ſubit proſaica Operis commendatio incipiens: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata paulo adteſtante* &c. ubi inter cetera: *Ceſſet igitur emulus facibus inuidie agitatus fumo liuoris opus hoc obſcurare. quieſcat lingua detractoris oblatrare* &c. Praeterea dicitur opus *eliciens nucleum de teſta. mel de petra. lucem de fumo. oleum de ſaxo duriſſimo. et uinum de acino*, quibus verbis ad *Petri Prologum in Libro floridi aſpectus* Cod. ſuperiore *cit.* manifeſte adluditur, in quo eaedem expreſſiones occurrunt. Poſtremo habentur VIII. illa *Diſticha*, quae incipiunt:

Scire cupis lector quis codicis iſtius auctor
Audi quid breuiter dicat ad iſta liber.
Petrus et egidius me conſcripſere. ſed ille
Auctor. corrector ultimus iſte fuit &c.

quaeque ab *Leyſero* e *Cod. Guelpherb.* repraeſentata ſunt p. 695. Adverte tamen pro *Prior Remis* nobis legi *Prior tenuis*, et *acutior alter* pro *auctior alter.* Quis jam *Canonicus* ille *de S. Mariano antiſiod. Praemonſtrat. Ord.* ſupra memoratus fuerit, et an omnium παραεργων hactenus adductorum autor, dicere non habeo. Monaſterium illud a. 1139. *Praemonſtratenſibus* traditum fuiſſe, docet *Galliae Chriſt.* T. XII. p. 470. Scriptores ejus *Robertum* et *Hugonem* chronographos Poetica etiam tractaſſe non invenio. Itaque ad ipſum *Petri* Opus. Initium facit *Prologus* metricus, quem e *Codd. Helmſt.* et *Guelpherb.* dedit p. 701. *Leyſerus:*

Initium (Principium?) *mundi quales ab origine prima* &c.

Sunt tamen, quae nobis aliter leguntur. *Fabrice concepta*, fortaſe *precepta.*

Coſmographo moyſe mihi pro duce carminis huius
Sunt animi motus &c.

Ma-